PROOEMIUM.

FRequentem hodiedùm ubivis in foris occurrentem materiam de *Conflictu Statutorum* pro Sacrarum Legum ac Canonum Licentiâ in hac pervetustâ Facultate Juridicâ publicè expositurus, è re esse duxi in quatuor illam dividere Capita; quorum Primum *Originem Statutorum*, & quinam *Statuta* facere possint, demonstrabit; Alterum de *Materiâ Statutorum* tractabit; Tertium *Statuta dividet;* Ultimum, quódnam *in Conflictu Statutorum* sit observandum, concludet, variósque Casus ac Quæstiones huic materiæ non inutiles resolvet. *Corollarium* denique, quomodo *Statuta Principum Laicorum* obligent Laicos, & in quibus casibus Clericos, subjiciet. Tuâ interim, mi Lector, benevolentiâ fretus exordior.

CAPUT I.

DE

Origine Statutorum in Germaniâ, & quinam Statuta condere possint.

THESIS I.

N. 1. CUM Imperium Romano-Germanicum in generali complexu, respectu plurimorum suorum Membrorum ùt unum consideretur Corpus, ita quòque universaliter unum in illo viget Jus scriptum Commune, de cujus *Origine* in Germaniâ quia dissentientes scribunt Authores, quorum nonnulli Germanos ante Sæculum Quintum post Nativitatem Salvatoris
2. Nostri scribendi legendique peritiâ adhuc destitutos fuisse, & penès illos bonos mores, communiáque populi Placita pro Legibus valuisse, post Sæculum demum Quintum circa medium Sæculi Sexti aliquos ex Germanis, ùt Francos, Burgundiones, Longobardos, Visi- & Ostrogothos sibi Leges Romanâ lingnâ scripsisse volunt, Stryk. *ad Usus mod. tit.* 1. *n.* 2. Alii, Ger-
3. manos quidem tractu temporis ob continua cum Romanis bella aliquam Romanæ linguæ & Juris sibi parâsse notitiam; sed Sæculo primitus Octavo Carolum Magnum, qui Primus omnium omnem penè Germaniam cum Galliâ & Italiâ imperio suo continuit, in diversas Germaniæ Provincias Leges scriptas introduxisse, & secundùm Germaniæ populorum mores ac consuetudines varias Leges sancivisse ac promulgâsse, per plura postmodum sæcula plures Constitutiones & Recessus Imperii Reichs-Abscheidt/ quos Imperatores Statuum suffragio in Comitiis ferebant, accessisse; tandem ante Sæculum decimum quintum tenuia admodum initia Legum Romanarum in Germaniâ apparuisse; Sæculo denique decimo quinto Jus scriptum Justinianæum in Germaniam introductum, usúque receptum, imò in Judicio Ca-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

merali secundùm illud judicandum, *vide Ord. Cam. de A.* 1500 § Ordnen / setzen à Maxmiliano I. Imperatore cæterísque Statibus præceptum esse tradunt Christ. Lehm. *in Chro. Spiren. lib.* 42. *c.* 21. *p.* 337. Tacit. *de Morib. Germ. C.* 19. Mull. *ad* Struv. *exercit.* 2. *th.* 34. hinc eorum veritatem accuratius perscrutari & veram Juris Originem in Germaniâ scire cupientes remitto *ad* Coring. *de Orig. Juris in Germ.* C. 12. *& seqq.* Ac quò me Capitis hujus rubrum
4. vocat, pergam. Porrò quoniam Imperium Romano-Germanicum è variis compositum est Membris ac Statibus, qui ob inveteratas subditorum suorum consuetudines antiquósque mores Juri Communi contrariantes illud vel in totum vel pro parte acceptare non potuerunt, sed particularia Jura, quæ jus illud Commune omnino abrogabant vel in plurimis articulis illi derogabant *Ord. Cam. p.* 1. *tit.* 13. suis subditis sanciverunt, quæ vel pro multis provinciis & civitatibus lata & promulgata, ut Jus Saxonicum, vel pro una Provinciâ aut Civitate, ùt Constitutiones Provinciales. Lands-Ordnungen/
5. Statuten/ Sondersatzungen dicuntur; Mull. ad Struv. *exercit.* 2. *th* 41. quorum veram & primordialem originem in Germaniâ ad illa refero tempora, quibus Romanum Imperium in varios Status divisum fuit, quod principaliter circa Annum Christi 1002. contigisse refert *Gail. lib.* 1. *obs.* 21. *n.* 2. quo tempore Otto tertius Imperator primus omnium Imperium suum in diversa divisit Membra & Status, Electorésque Imperii constituit, quibus certum subdidit Territorium cum omnimodâ & superiori jurisdictione Terri-
6. toriali, Thuan. *lib.* 2. *hist. p.* 25. Quamvis Lymnæus *de Jure Pub. lib.* 3. *c.* 1. *n.* 3. *& seqq.* figmentum esse, quòd Otto Tertius Electores constituerit, sed sensim consuetudine constitutionem Electorum approbatam fuisse sustineat; & Goldastus *Tom.* 3. *constit. Imp. p.* 371. referens quidem fragmentum des Reichstag unter Käyser Otten dem Dritten von Satzung und Ordnung der Churfürsten des Reichs und anderen Ständen *sed p.* 16. in Reichs Handlungen
7. hanc sanctionem suspectam habeat; ego tamen cum Sententiâ communi Ottonem primò omnium Electores effecisse credo: Hic enim cùm Gregorium V. Romanorum Pontificem sibi natione & affinitate conjunctum à populo Romano Consule Crescentio, ejectum vi & armis pristinæ Dignitati restituisset, Pontifex, ut sibi tantorum Principum gratiam & favorem conciliaret magísque devinciret, hanc sanctionem tulit: *Imperatorum nullus Hæreditariam dignitatem vendicato. Principes sex, Sacri Ordinis tres, Profani totidem eum deligunto, hi discordes si fuerint, Bohemiæ Regem cooptanto*; ita referente
8. Bellarmino *lib.* 3. *de Translat. Imp. C.* 2. *p.* 290. Quòd verò illo tempore Statuta, qualia in singulis ferè Provinciis & civitatibus hodie vigent, suam sortita sint Originem, non incongruo eò puto ductus argumento, verum enim verò Status Imperii Statuta fecerunt; ergo Statuta suam Originem traxerunt eo
9. tempore, quo Status Imperii Status evaserunt. Non inficiandum quidem est, multos Germaniæ populos ùt Saxones, aliósque ante Sæculum Decimum particularibus vixisse Legibus; sed has potiùs consuetudinibus, quam Statutis à Domino territoriali latis & promulgatis annumerandas esse judico.

THESIS II.

10. QUoniam Jus condendi Statuta Secularia, ad majora Principum Regalia, Ecclesiastica, ad præcipua Archi- & Episcopalia Jura pertinet, Lymnæus *de Jure publ. t.* 2. *lib.* 4. *C.* 8. *n.* 253. Coccej. *de Jure Publ. C.* 22. *n.* 14. *& c.* 23. §. 1. *n* 3. illud vi Superioritatis Territorialis, hoc vi Jurisdictionis superioris Ecclesiasticæ competit, Coccej. *d. L.* indubitatum est, omnibus Sacri Romani Imperii Statibus immediatis

diatis superiorem Jurisdictionem Territorialem habentibus competere Jus condendi Statuta Secularia, *vid. Cap. Leopol. art.* 3. und zum dritten *in pac. Osnab. art.* 5. §. 9. die Freye / omnibus Ecclesiæ Membris superiori Jurisdictione Ecclesiasticâ gaudentibus competere jus condendi Statuta Ecclesiastica.

11. Porrò Status Imperii sunt primò Electores, inter hos tres Archi - Episcopi, ùt Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, sex Sæculares, Rex Bohemiæ, Palatinus, Saxonicus, Brandeburgensis, Bavaricus, Hannoveranus.

12. An hi Statuta facere possint absque consensu Statuum Provincialium der Landständen? vel absque suffragio Assessorum in Spiritualibus? hoc dependet à cujusque Provinciæ observantiâ & consuetudine; regulariter verò possunt Coccej. *de Jur. Pub. C.* 22. §. 4. humanum tamen esse, quòd absque

13. consilio Statuum nulla Statuta faciant, dicit Voetz *in Hist. Jul. n.* 102. 2dò

14. Archi - Episcopi, ùt Magdeburgensis, Salisburgensis & alii. 3tiò Epis-

15. copi, ùt Bambergensis, Leodiensis, cæterique. 4tò Principes Sæculares vel Comites Duces, Germanicè Gefürstete Graffen / ùt Mechlemburgensis,

16. Holsteiniensis, Hessensis, Nassoviensis & plurimi alii. 5tò Prælati vel Abbates superiorem Jurisdictionem Territorialem & quasi Episcopalem exer-

17. centes, ùt Fuldensis, Hirsfeldensis, Werdensis. 6tò Balliviæ Superioritate Territoriali gaudentes, ùt Alsatiensis, Confluentiensis. 7timò Comites & Barones proprium Territorium cum altâ Jurisdictione habentes, ùt Salmensis, Hohenzöllerensis, Limburgensis, quamplu-

18. rimique alii. 8vò Civitates, Imperiales Liberæ & Civitates Imperiales tantùm; quanquam in hoc passu quoad potestatem scilicet condendi Statuta nulla sit differentia inter Civitatem Imperialem Liberam & Civitatem Imperialem tantùm; in aliis casibus tamen Publicistæ differentiam

19. faciunt; absque eo enim, quòd olim Civitates Imperiales Liberas die Freye Reichs-Stätte immunes fuisse ab Imperatoris subjectione, in Civitatibus econtra Imperialibus Præfectos Imperatoris Nomine Jurisdictionem exer-

20. cuisse dicat Coccej. *de Jur. Pub. C.* 17. §. 7. Absque eo etiam, quòd ex Civitatibus Imperialibus Liberis nonus, ex Civitatibus verò Imperialibus tantùm

21. decimus sit eligendus Assessor, *vid. Ord. Regi. in Comit. Wormat. A.* 1495. Civitates Imperiales Liberæ principaliorem sessionem habent in Imperio, quàm

22. Civitates Imperiales tantùm, *vid.* Lehm. *Chron. Spir. de A.* 1497. *lib.* 4. *C.* 5. Inter quas Civitates Imperiales Liberas non ultima, sed omnium ferè prima est nostra Civitas Coloniensis, quæ non solùm inter Civitates Germaniæ à temporibus Romanorum Antiquissima est, & à primævo tempore Libera fuit Romanorum Colonia *L. ult. ff. de Censibus.* Lymn. *t.* 3. *L.* 7. *C.* 10. *n.* 1. sed & à secundo ferè sæculo ad Imperii Comitia citata & deputata fuit, *R. I. de A.* 1555. §. 65. Lymn. *d. l. n.* 8. præ aliis etiam Civitatibus & Statibus majoribus Privilegiis & Regalibus gaudet, ùt Regali cudendæ Monetæ duplicis generis aureæ & argenteæ, quod Statibus omnibus non competit, Münz-Ordnung 1555. §. 128. Jure Stapulæ, multísque aliis privilegiis, quæ Lymn. *Tom.* 3. *lib.* 7. *C.* 10. *n.* 17. recenset, ubi supra *N.* 2. innumeras de alterâ hâc Româ cantat Laudes, ac illi hos Versus appropriat:

Gaude Fœlix Agrippina,
Sanctáque Colonia,
Sanctitatis tuæ bina
Gerens testimonia,
Postquam Fidem suscepisti
Civitas Prænobilis,
Recidiva non fuisti,
Sed in Fide stabilis.

Quis eat inficias, Divino evenisse consilio ac speciali auxilio, ut, attento Amplissimi Magistratûs pervigili æquè ac præfelici Gubernio, hæc alma Ubiorum quasi sphæram laudum supergressa Civitas inter tot ancipitis fortunæ ac belli aleas nunquam alia, sed aviti splendoris ac Fidei tenax, inter urbium vicinarum ruinas & rudera, tanquam in mediis salamandra flammis, illæsa Virgo elusis tot procorum insidiis triumphârit.

23. Præter Status Imperii Statuta condere possunt & quidem in materiâ Ecclesiasticâ imò Legati Sedis Apostolicæ in Provinciis & locis suæ Legationis, Engel. *ad Jus Can. de Constit. Princip. n.* 20. quæ Statuta etiam durant cessante
24. illorum officio & finita legatione. *C. ult. de Officio legati. n.* 20. 2dò, Suffraganei, Vicarii, Administratores in Spiritualibus Archi-Episcoporum de meliore observatione Cultûs Divini, Precum ordinatione, similique materia spirituali, qualia verisimiliter ipsis concessa esse supponuntur, statue-
25. re possunt, Joannes de Imola *in tres lib. Decret. fol.* 206. *n.* 9. 3tiò, Capitula Ecclesiarum Cathed. vel Collegiatar. Statuta facere possunt, sed talia, quæ ad majorem utilitatem, sustentationem & ornamenta Ecclesiæ, & circa reformationem morum pertinent, vel ad pinguiorem Capituli Oeconomiam tendunt; nullo modo verò Capitula Statuta, quæ Ecclesiæ Statum vel Jus mutare vel alterare possunt, sinè authoritate Episcopi sancire valent, Card. de Luca *de Cano. discur.* 19. *n.* 17. Leurenius *de Foro benef. p. ult. q.* 471. Pœnalia Statuta transgredientibus Capitulum facere potest. Leurenius *de Foro benef.*
26. *dicto loco.* Sede vacante Capitulum rite Statuta faciet, etiam ea, quæ Episcopus facere potest, Leur. *dicto loco q.* 470. *n.* 3. Non tamen Statuta Episcopo præjudicantia: ut v. g, si Statuto tollere vel minuere vellet Episcopi subsidium Charitativum vel alia Episcopo competentia jura, Engel. *ad Jus Can. tit.* 2. *n.* 20. Facta Capituli Statuta Episcopus revocare potest, Eng. *d. loco.*
27. Leur. *d. l. n* 5. 4tò, Monasteria Statutis disponere possunt circa ea, quæ bonam disciplinam vel ritum Ecclesiæ promovent, non verò Statuta, quæ Regulam mutant, vel Ordinem vel Religionem alteram absque consensu Ponti-
28. ficis rectè faciunt Eng. *lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 23. An autem Religiosi Statuta Superiorum semper acceptare teneantur, quæritur? distinguendum puto: an Statuta nova sint ad abolendas consuetudines, quæ tendunt ad dissolutionem Disciplinæ Monasticæ; & si hæc Statuta imam Regulam duriorem non fa-
29. ciunt, tenentur acceptare. *C. Relatum & ibi Gloss. Ne Clerici vel Monachi.* Statuta verò, quæ Regulam primam duriorem faciunt, ùt in exemplo, quòd non liceret ampliùs carnibus vesci, dum aliàs carnibus vesci soliti erant, acceptare non tenentur. Eng. *dict. loco.*

In Materiâ Civili præter Status Imperii Jus condendi Statuta habent,
30. primò: Civitates Municipales, etsi hæ non gaudeant Superioritate Territoriali, adeóque nec inde competente Leges ferendi potestate, sed Principibus, in quorum Territorio sitæ, sint subjectæ, ac olim non potuerint Leges
31. condere. *Leg.* 15. *Dig. d. Verb. sig.* Hodiè verò inter suos pro lubitu Statuta condere possunt, Muller. ad Struv. *Exerc.* 2. *thes.* 42. *Lit. B.* Conrad Zach. *de Jure & Jurisdictione Municip. Cap.* 37. *n.* 1. Non tamen contra legem Superio-
32. ris Statuta valent. Card. de Luca *de Jure Patro. Disc.* 67. *n.* 12. sed an hæc Statuta confirmatione indigeant, Quæres? hoc volunt aliqui absolutè, ùt Ri-
33. minal. Jun. *Cons.* 548. *n.* 11. negant aliqui, ùt Conrad. Zach. *dicto loco.* Utile esse sustinet Voetz. *in Hist. Jul. n.* 103. Ego cum Mull. ad Struv. *Exerc.* 2. *th.* 42. Distinguo: Civitas municipalis est privilegiata, ut Statuta facere possit, & hæc vi privilegii Statuta absque confirmatione rectè condit; si verò civitas destituta sit hoc privilegio, Statuta quidem facere potest ad meliorem administrationem civitatis pertinentia, non verò Statuta seu Leges Civita-

tis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tis particulares sine confirmatione Superioris civibus præscribere potest. In hanc sententiam inclinant Card. de Luca *de Judiciis disc.* 35. *n.* 61. Coler. *de Proc.*
34. *Execu. parte* 1. *Cap.* 3. *n.* 12. Subquæres, quali confirmatione indigeant, expressâ? vel tacitâ per lapsum longi temporis? & quid intersit? ℞. Tacitam sufficere, sed expressam operari, ut valeant contra Jus Commune. Card.
35. de Luca *d. loco n.* 62. Si sit confirmatio Principis necessaria, Statuta à civitate municipali facta post confirmationem revocari non possunt, dat enim talis confirmatio vim & esse Statuto.

36. Secundò & ultimò: Statuta facere possunt Universitates, Collegia Opificum, vel Mercatorum circa materiam universitatem, vel Collegium concernentem, vel ad negotia communitatis pertinentem, qualia sunt,
37. in Tribubus, die Innungs-Articulen / Gaffel-Gesätze ꝛc. sed hæc Statuta ut vim Juris habeant, à Magistratu loci confirmari debent, vide *Recessum Imp. de Anno* 1671. §. Unabstellung der Mißbrauch der Handwercker betreffend.
38. Absque consensu tamen Superioris Sodales Tribuum se per modum Conventionis firmiter obligare possunt, *L. ult. ff. de Collegiis & Corporibus.* Mull.
40. ad Struv. *Exercit.* 2. *t.* 42. non tamen hæc Statuta utilitati publicæ nociva esse debent. Carpz. *parte* 2. *Constit.* 6. *defin.* 10. *n.* 1. *& seqq.*

CAPUT II.

DE
Materia Statutorum.

THESIS III.

N. I.

Statutorum Materiam in eo consistere, quod Statutum ordinat, permittit, prohibet, aut punit, nemo erit, qui dubitet, unde & *Juris-Consult. in L.* 7. *ff. de Legibus* dicit: *Legis virtus hæc est, imperare, permittere, aut punire*, atque Engel. ad *Jus Cano. de Constit. Principum* §. 2. *n.* 1. *in princip.* materiam legis vocat, quæ justè imperatur, prohibetur, aut permittitur, & hinc à licitâ Statuti materiâ atque justâ ratione validitas vel invaliditas Statuti decernenda est, ideóque Statuta, nisì licita iis subsit materia, & rationabilia, sint, qualia quidem regulariter præsumuntur, Mæv. *p.* 7. *decis.* 53. *n.* 13. Invalida sunt, *L.* 2. *C. quæ sit longa consuet.*, nec à Judice observanda, adeóque nonnunquam quædam Statuta à Camerâ Imperiali, in quâ aliàs secundùm cujusque loci Statuta & laudabiles consuetudines judicari debet, vid. *Ord. Cameral. parte* 1. §. 13. ùt irrationabilia reprobantur. Gail. *Lib.* 1. *obs.* 18. ubi Stsuta, quæ in quibusdam locis Marinis vigent, vi quorum, facto naufragio, bona, quæ sunt in navi, cadant in commissum, & ad Dominum fluminis pertinent, à Camerâ Imperiali pro injustis declarata fuisse, imò eam mandata sinè clausulâ contra utentes illis decernere refert; de Jure etiam Canon. pœna excommunicationis in spoliatores naufragium passorum cadit per *Cap. Excommunic. extra. de Raptor.* Eodem modo *Constit. Carol. de Anno*
2. 1548. Statuta majores, quàm quinque in singula centum sumere usuras permittentia irrationabilitatis vitio damnat, & nequidem Principes Imperii Judæis in suis territoriis majores usuras permittere posse, dicit Gail. *Lib.* 2. *obs.* 5. *in fin.* Sub quâ Constit. Carol. tamen non cadunt Statuta mercatoribus plures, imò decem & ultra usuras permittentia, illa enim irrationabilia argui non possunt. Molin. *de Usu quæst* 84. *n.* 527. *Constit. quoque Criminalis Ca-*
3. *roli quinti art.* 158. *in verb.* Eine böse unvernünfftige Gewohnheit und Gesätz. injusta rejicit Statuta vel consuetudines, quæ judici res à fure surreptas sibi
4. retinere, nec partibus læsis restituere, permittunt. Similia injusta ac inva-

 lida